



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**PSALTE=||RIVM DAVIDIS || CARMINE REDDITVM || PER  
EOBANVM || HESSVM.||**

**Hessus, Helius Eobanus**

**Lipsiae, 1557**

**VD16 B 3198**

Psalmvs CXXXIX. Domine probasti me & cognouisti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69301](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-69301)

*Hos tibus excutiet cœptum tua dextra furorem,  
Et sic illa meæ cauſa salutis erit.*

*Expediet pro me Deus omnia, maxime diuūm,  
Perpetua est bonitas & tua summa fides.*

*Addit precati Nunc quod opus finxere tuæ pater optime palmae  
unculam.*

*Ne rogo contemtum deseruiſſe uelis.*

## PSALMVS CXXXIX.

**D**omine probasti me & cognouisti,  
ARGUMENTVM.

Prior pars habet gratiarum actionem  
pro creatione & mirabili gubernatione san-  
ctorum, quæ tota in manibus Dei, extra ui-  
res, cogitationes & consilia humana est. Al-  
tera habet orationem, ut hostes uerbi pere-  
ant, qui fiducia suarum uirium omnia au-  
dient, & ut ipse in uerbo Dei conseruetur.

*Quād sint magna, Dei bonitas, sapientia, uirtus,  
Qui quæ sunt, & erunt, quæq; futura, uidet.  
Qui facit & præsens agit omnia, quo sine nullum  
Momentum exigui temporis eſſe potest.*

Psalms David.

Descriptio mi-  
rabilis gubernati-  
onis & cre-  
ationis.

**C**onditor omnipotens, omnis Deus arbiter æni-  
Cuineq; ut ortus erat, sic neq; finis erit.  
Explorata tenens mea iam pater omnia dudum,  
Et pars te potuit nulla latere mei.  
Tu nosti quid confideam, quid surgere pergam,  
Sensa à longe animi sunt tibi nota mei.

SCU



Seu me forte dies aliquo prospicitat euntem,  
 Seu cubitum fessæ tempora noctis agunt:  
 Tu nibi tu præsens ades & circum omnia lustras,  
 Quæ pergam ignota est semita nulla tibi.  
 Nam neq; lingua potest quicquam mea dicere, cuius  
     Iam non sit ratio cognita tota tibi.  
 Tu frontem, tu terga in me, tu cuncta creasti,  
     Quæq; fuere prius quæq; futura manent.  
 Atq; ita me diuina manus tua fixit, ut esset  
     Plenum opus, & pulcrum corporis omne mei.  
 Cognitionis opus tantæ non assequor illud,  
     Tam ratio sensus effugit alta meos.  
 Quo fugiam ne præsentem tua numina cernant?  
     Qua tuus excludi spiritus arte potest?  
 Detur ut astra supra scandam sublimia cœli,  
     En ades, & nullo non potes esse loco.  
 Infernas adeam, Plutonia regna, lacunas,  
     Hic quoq; maiestas aspicienda tua est.  
 Mane rubens aurora sum mihi commodet alas,  
     Dentur in extremo testa colenda mari.  
 Non minus hæc tua celsa manus me perfret illuc,  
     Et uirtus dextræ fulciet alta tuæ.  
 Dixerò, forte tegent tenebræ me noctis opacæ,  
     Lucida nox etiam te penes omnis erit.  
 Et tenebræ non sunt tenebræ si tu pater abis,  
     Et nox clara nouæ lumina lucis habet.  
 Te penes in lucem tenebræ uertentur, & omnia  
     Nocte sub obscura te prope splendor erit.  
 Nam lumbos renesq; meos tu matris in alio  
     Corporis effingis cætera membra mei.

Obserua quo-  
     modo omnia  
     tribuat arbitrio Dei, & a-  
     dimat suo ar-  
     bitrio.

Quod nemo  
     possit Dei con-  
     silium effugere

Gratianus actio

Gratia summe tibi genitor, qui corporis artus  
Omnes mirifica feceris arte mei.  
Et tua sunt perfecta modis opera omnia miris,  
Quæ perspecta meæ lumina mentis habent.  
Te mea non latuit uirtus cum fingerer intus,  
Et rudit exiguo pondere massa forem.  
Abdita cum fierem uelut intra uiscera terræ,  
Et nondum ex utero matris ab actus eram.  
Tu fœtum informem clara me in luce uidebas,  
Et quæcumq; mibi membra futura forent.  
Tunc uelut in libro descripta futura tenebas  
Tempora, nec dum horum uenerat ulla dies.  
Quam præclara Deus tua consilia omnia nobis,  
Quanta est illorum cognita summa mibi.  
Illa ego si numero certo comprehendere coner,  
Omnis inexhausti cedet arena maris.  
Peruigil ut demum refrendis immorer illi,  
A te semotus non erit iste labor.

Precatio contra hostes non  
obseruantes  
hanc Dei benignitatē, & per  
sequentes uerbum.  
O utinam reprobos perdas Deus, ô procul absint  
Turba profanatas sanguine fœda manus.  
Nam peruersa palam de te & scelerata loquuntur,  
Et crescent hostes, in tua damna, tui.  
Qui te odere pater dignos odio esse putavi,  
Digni & quos odio prosequeremur, erant.  
Qui suate contra statuerunt signa rebelles,  
Semper in hos animo non paciente fui.  
Nec potui maiore odio quam prosequor illos,  
Hac hostes facti sunt ratione mibi.  
\*Explora, cognosce meos pater unice sensus,  
Perscrutare animi cuncta profunda mei.

